

non plurimum valere jubeas amicissimæ virgini D. Bassaport necnon amicis et fautoribus reliquis.

Quod jam fit de vestro Buffon; expecto avide Museum regium in naturâ; præfationem audiui et vidi; sed quid magis.

Opto tibi, vir colendissime, florentissimam æstatem et herborisationes impluvias; ego Tui in meis nunquam obliviscar cum meis sociis.

Dabam Upsaliæ die 14 Martii 1752.

ILLUSTRISSIMO BOTANICO
DD. BERNH. DE JUSSIEU,

BOTAN. PROF. PARISINO, ETC.,

S. PL. D.

CAR. LINNÆUS.

FESTUS mihi est dies quotiescunque liceat literis Tecum, Benefactor Summe, loqui; fieret hoc sæpius si modo scirem quâ ratione possem ad te scribere absque tuis impensis per tabellarium. Mihi enim res salva est. Ignoscas, artis nostræ Præsul, quod his Tibi sim molestus. Accepi nuper plantam e Finlandiâ quam videre fastidio, ignoto genere proprio; novi quantus Tu sis in omni naturæ ambitu, et quod tibi nullum sese subducat minutissimum vegetabile. Planta quam tuo subjicio nunc judicio est lecta in horto Finlandiæ, suâ sponte nata in pulvillo juxta alias plantas et videtur esse planta vernalis; rudi homines legerant in Horto isto plantas et ad me misère, quarum radicibus, ejusque annexæ terræ, hæc plantula inhærebat; nescio utrum sit muscus vel Herba; flores non obtinui, nec obtinere possum. Si in aquis cresceret credidissem fuisse Subulariam, licet nec hanc omnino exprimat. Mihi videtur esse admodum singularis planta.*

D. Læfling dudum Hispaniam attigit, observat plantas minutissimas; reperit *Alsiniem spuriam pusillam repentem fol. Saxifragi aureo*. *Raj. Syn.* 352. *Pluk. Phyt.* 7. f. 6.† quæ copiose crescit in Hispaniâ et Lusitaniâ; nescio sub quo nomine nota aliis Botanicis, qui peragrarunt eadem loca. Multa habet cum Veronicâ communia, a quâ abunde distinguitur corollâ quinquepartitâ, staminibus 4 per paria approximata et 2 breviora.

* Litteræ specimen plantulæ obscurioris insertum adhuc inest, quod nihil aliud videtur nisi Scirpolorum germinantium (*Scirpum acicularem* crediderim) fasciculus, foliis primis jam evolutis, testis tamen seminum apici cotyledonum exsertarum adhuc adhærentibus.

† *Sibthorpia Europæa*, L.